DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIA UTERINA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HÆMORRHAGIA UTERINA:

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS BLACKALL WALL,
HIBERNUS.

" Felix qui potuit rerum cognoscere causas."—VIRGIL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXVI.

VIRO AMPLISSIMO,

HAYES ST. LEGER,

VICECOMITI DONERAILE;

COMITATUS CORCAGIENSIS IN HIBERNIA PRAEFECTO;

QUO

NEMO POPULO CARIOR;

NEMO, MAJORI INTEGRITATE, FUNGITUR

MAGISTRATUS OFFICIO;

NEMO MAGIS MISERIS OPITULARI STUDET;

HOCCE OPUSCULUM,

SINCERUM, LICET PERTENUE, TESTIMONIUM

ANIMI GRATI

OB PLURIMA IN SE COLLATA BENEFICIA,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HÆMORRHAGIA UTERINA.

JACOBO BLACKALL WALL, AUCTORE.

PRÆTER morbos, quos feminae cum viris communes habent, illae multis malis obnoxiae fiunt ex illa insigni functione, quam natura iis commisit, in uterum gerendo, et primâ hominum vita sustinendâ. Sub durâ quidem lege, feminae humanae gentis laudem gignendi prolem meruerunt, quae dignitate cetera exsuperet animalia: ac, si illis solis concessum est in lucem proferre eos, qui terrarum potiuntur, atque alia animantia, in suam redigunt potestatem, munus certe, quantumvis illustre dignumve, non exiguo acquisitum est pretio.

Neque necesse est ut haecce exerceatur functio---plurima afferuntur mala, ex ipsa corporis fabrica, quâ ad hanc rem accommodatur, etiamsi femina celebem ducat vitam. Maxima vera oriuntur pericula, quum jam onus susceperunt, quod natura iis imposuit, uterumque gerunt; et quod dolendum est, quo humaniores fiunt seculi mores, et quo politior est gens, cujus sint, eo facilius gravidae feminae in pericula incurrunt.

Ex morbis, vero, quibus feminae, vel propter fabricam, qua ad hanc functionem aptantur, vel dum eandem perficiunt, obnoxiae redduntur, Haemorrhagiam Uterinam selegi, de qua Medicinae honores ambiens, pauca scriberem. Quidquam novi, profecto, proferre nequeo, sed, quantum in me est, ea, quae, de hac re, maximi sunt momenti, propositurus sum.

Haemorrhagia ex utero, sub pluribus conditionibus, incidere potest, vel citra graviditatem, vel in graviditate, vel inter parturien-

dum, vel denique post partum editum. Neque quidem sanguis effusus, a vasis uterinis, semper se ostendit, et in conspectum venit. Potest enim in utero retineri; quin et exempla traduntur, in quibus effusus sanguis, per tubas Fallopianas, in abdomen pervenerat.

Pauco vero praefatus de Haemorrhagia ex utero, quae, citra graviditatem, fit, fusius dicam de ea, quae inter graviditatem accidit; quae quidem satis distinguitur ab caeteris profusionibus sanguinis uterinis, ut liceat nomen Haemorrhagiam Uterinam κατ' εξοχην ei imponere. Gravidâ enim factâ feminâ, uteri moles usque magnopere augetur, nova formantur vasa sanguifera, priora in magnum crescunt, ita ut, ortâ Haemorrhagiâ, ex aliqua causâ, ingenti vi atque impetu, sanguis effundatur, et nisi tempestive compescatur, misera brevi fato succumbat. Huic malo, igitur, hac disputatione, potissimum operam dare in animo est, sed si limites hujusce opusculi sinant, pauca de Haemorrhagia, inter parturiendum, et post partum editum, adjiciam.

DE HÆMORRHAGIA UTERINA CITRA GRAVIDITATEM.

Haemorrhagia Uterina, instar aliarum sanguinis profusionum, vel activa est vel passiva. In activa Haemorrhagia, vasa ipsa, a quibus effunditur sanguis, non infirmata sunt, sed momentum, quod sanguis acquirit a cordis et vasorum actione, augetur: in passiva vero sanguinis momentum non augetur, sed vasa debiliora facta sunt. Uterina Haemorrhagia activa feminas vexat, quae sanguinis plenitudine utuntur, quae diaetae nimis lautae et liquoribus validioribus aliisque stimulantibus sese assuefaciunt, et vitam otiosam tranquillamque, praecipue sub caelo calidiori, ducunt. Excitatur vero calore nimio, frigore magno, animi affectibus, vehementi exercitatione, saltatione nempe cursu etc.; nimia venere, purgantibus acrioribus, vomitu diuturno atque astrictâ alvo. Uterina Haemorrhagia passiva in feminis constitutio-

nis debilioris corporis incidit, quae diaeta parca utuntur aut affectibus animi deprimentibus confectae sunt, quae evacuationibus prioribus, ex quovis fonte, aut frequenti partu, aut lactatione diuturna infirmatae sunt; quae porro vigiliis, malis diuturnis, prava concoctione vexatae sunt. Quum vero activa Haemorrhagia diu feminam exercuit, in passivam formam fere convertitur. Et manifestum est non tantum discrimen esse inter has Haemorrhagiae species, ut non simul urgeant et quasi misceantur.

Quod ad curationem attinet, in activa forma, remedia antiphlogistica postulantur, in passiva forma astringentia conveniunt: in utraque quies, et causas excitantes evitare.

Haemorrhagia Uterina, etiam, vel idiopathica est, vel symptomatica. Idiopathica est, quoties a nullo corporis malo priori, aut mutatione organica uteri ipsius pendet: Symptomatica, siquando repeti potest ad aliquod malum, quod prius vel totum corpus, vel uterum tentarat

Saepe parum facile est pro certo comperire, an Haemorrhagia uteri sit idiopathica, an symptomatica; sed, in plerisque exemplis, signa mali prioris satis ostendunt morbum symptomaticum esse. Haemorrhagia Uteri symptomatica aliquando febres malignas comitatur, in quibus lethale plerumque signum est. Auctore Diemerbroeck, frequens est pestis indicium, in scorbuto et purpura haemorrhagica quoque incidisse videtur. Sed haecce sanguinis profusio vitia uteri ipsius multo saepius comitatur. Quoties substantia mollis vasculosa, spongiosa, cui nomen mola datur, in utero formatur, tandem se inde separat, et Haemorrhagia saepe profusa et diuturna oritur. Hydatides etiam, in utero, ortae Haemorrhagiam saepe afferunt. Polypi haud minus saepe profusam creant Haemorrhagiam, praecipue quoties polypus quasi strangulatur ad uteri cervicem. Concretiones fibrosae, praeterea, haud raro causae haemorrhagiae sunt. Uteri scirrhus periculosissimae sanguinis profusioni saepe originem dat. Et postremo sanguinis profluvium ab utero, injuriis illatis, aut vulneribus, creari potest.

Quod ad curationem attinet Haemorrhagiae Uterinae symptomaticae, plane pendet, in singulis exemplis, a vitio, quod eam excitavit, ideoque vix hujus loci est eandem proponere.

DE HÆMORRHAGIA UTERINA INTER GRAVIDITATEM.

Hæmorrhagia Uterina, inter graviditatem, potest etiam existere vel idiopathica vel symptomatica. Nam vitia, a quibus Haemorrhagia Uterina symptomatica pendet simul cum graviditate existere possunt, et praeterea Haemorrhagia, quae abortum comitatur, manifeste symptomatica est. Sed non in animo est, aut de vitiis uteri, quae graviditatem comitantur, aut de abortu dicere.

Haemorrhagiae Uterinae idiopathicae, in gravidis, ortae primo historiam, dein causas et postea curationem proponam.

DE HAEMORRHAGIAE UTERINAE HISTORIA.

Haemorrhagia Uterina incidere potest, per totum graviditatis spatium, potissimum vero infestat, intra tres primos menses, aut versus partûs tempus. Interdum sanguis, modica copia, effunditur, per intervalla ab graviditatis initio, usque ad sextum septimumve mensem, vel etiam per totum spatium, quo femina uterum gerit, ita ut multis persuadeatur nihil aliud esse nisi humorem menstruum praeter solitum secretum. Et adhuc quidem, de hac re, auctores disputant. Sufficit, in his exemplis, quietem jubere et submovere causas, quae sanguinis profluvium, in modum periculosum, augere possunt, et femina saepe, quod ad cetera attinet, felicem partum habet. Quin et sunt qui credunt hujusmodi profluvium, in plethoricis, tum matri tum infanti utile esse. Sanguis vero effusus, majori quantitate, vel protinus descendit et in conspectum venit vel retentus, in utero, celatur. Quoties lente ef-

funditur, satis magna sanguinis quantitatas accumulari potest in utero, nullo evidenti incommodo orto; sed siquando, ex repentino, magna profluxit sanguinis quantitas; dolor et sensus ponderis in uteri regione oritur, abdomen elevatur et uteri moles plane, intra breve spatium, augetur, admotâ abdomini manu, uterus plane tensior, firmior et rotundior factus est; aegrae vires deficiunt, pallescit vultus, lineamenta mutantur, oculorum caligo est, atque aurium tinnitus, et ad deliquium animi proclivitas accedit, vel aegra prorsus animo deficit. Dolores aliquando partûs incidunt, sed saepe languidi sunt et, post longa intervalla, et saepe, post breve spatium, intermittuntur. Si vero vires feminae non admodum imminutae fuerint, sanguis intus effusus uteri contractionem excitat, et femina parturit; raro vero, superstite infantis vita; in aliis autem contractio uteri ad hanc rem non sufficit, et paulatim relaxatur uterus, atque coagulis impletur, corporis vires labant, abdomen tumet, ex intestinis flatu distentis, longe ultra justam molem, pro graviditatis tempore, et dum

Medicus, forte parum attentus et securus, nihil timet, misera lente letho succumbit, vel, partu edito, subito extinguitur.

Saepius vero sanguis effusus protinus in conspectum venit. Hujusmodi Haemorrhagiam plerumque vultus rubor vel antecedit vel comitatur, dolor est cum calore et tensione in lumbis, sensus ponderis hypogastrio, mammae saepe tument, firmiores fiunt et dolent, sanguis vel lente fluit, vel, magna vi, projicitur, nunc fluidus est et colore rubro, nunc coagulatus nigrescit; sanguinis profusio interdum, per plures horas, intermittitur, interdum per plures dies, et iterum accidit. Haemorrhagiae reditum fere semper antecedunt coagula expulsa, quae eo majori dolore ejiciuntur, quo magis uteri cervix resistit, progredienti malo, femina nauseâ vexatur, infirmantur vires corporis, pallescit vultus, solitus ejusdem aspectus mutatus, pulsus infirmus fit, femina videt quasi per nebulas, et aures ei sonant, et tandem syncope frequens incidit. Minor sanguinis quantitas solito nunc in corpore est, et post frequentem

profusionem, sanguis, qui in corpore est, minus idoneus fit ad stimulandum cerebrum nervosque: cunctae exinde corporis actiones minore vi perficiuntur, corpus fit magis irritabile et res levissimae, nunc corpus et animum perturbant; affectus hysterici, quin et nervorum distentiones oriuntur; ventriculus non amplius ad ciborum concoctionem valet; intestina torpida fiunt, fibrae musculosae totius corporis, minori vi, contrahuntur, et totum corpus vitae potestatibus minus utitur. Sub hac conditione causae levissimae ingens periculum, quin et celerem mortem afferre possunt.

In plethoricis quidem feminis, magna sanguinis jactura incidere potest, nec multum incommodi oriri. Sed etiamsi cito sistitur, et femina iterum bene se habet, semper metuendum est ne redeat: nam post primam sanguinis profusionem, femina saepe sensu ponderis, dolore, atque tensione liberatur, putat se iterum bene se habere et versatur solitis studiis atque exercitationibus; sed post diem unum alterumve, vel post longius spatium, redit

profluvium, iterum forte sine magno incommodo, sese terminaturum. Tandem vero, ore uteri aperto et molli facto, sanguis potest, ingenti copia, effundi, ita ut malum, ex inopinato, lethale fiat. Luridus fit vultus, in hujusmodi exemplo, partes externae frigescunt, pulsus vix percipi potest; neque ventriculus, quidquid assumptum fuerit, retinere valet. Haemorrhagia forte finita est, et adstantibus et sibi videtur se posse ad sanitatem redire, sed usque augetur infirmitas, pulsus non amplius percipitur, aegre spiritum reciprocat, et longa trahit suspiria, vox deficit, et brevì misera extinguitur.

Quod ad prognosim attinet in Haemorrhagia Uterina idiopathica inter graviditatem, affirmare licet, periculum eo grandius esse, quo provectior sit graviditas. Intra tres primos menses orta raro mortem affert; sed in ultimis mensibus, si largum est profluvium, raro infans non perit, et saepe matris vita quoque in dubio est. Quin et si malum non statim feminam interemerit, fieri potest ut lethalis

hydrops aut cachexia exitialis inde concitetur. Minime tamen de reditura feminarum sanitate, atque felice partu, quae eo laborant, desperandum est: nam, in multis exemplis, tum sponte, tum medicinae ope, Haemorrhagia cohibita est, et omnia prospera cesserunt. Si uteri cervix non multum dilatata est, si sanguinis jactura haud magna est, si dolores non magnopere vexant, spes prosperi exitus erit; quoties ingens est Haemorrhagia, et aegrae corpus irritabile est, res in dubio est; neque Uterina Haemorrhagia, cujus in causa est placentae nexus ad uteri cervicem, unquam periculo caret, sive ad matrem, sive ad infantem spectas. Quoties quidem id fit, vix spes est salutis, in naturae viribus; citra medicinae potestatem, tum infans, tum mater plerumque pereunt: eo grandius vero periculum est, in hujusmodi exemplo, quo plus uteri ostium placenta tegitur, quo major est ejusdem separatio, quo plus sanguinis effusum est et quo magis feminae vires exhaustae sunt.

Haemorrhagia, quae, retento in utero san-

guine, celatur, ingens affert periculum, quia, in ea, Medicus non semper comperit, quod malum urgeat, aut certe quousque processerit.

DE CAUSIS.

Plurimae sunt causae, quibus Haemorrhagia Uterina concitatur, et profecto multae ex his, huic cum aliis Haemorrhagiis communes sunt; oriri potest a vi externa, qua ovum, ex parte, separatur; etiamsi vero vascula inter ovum et uterum procedentia delicatissima sunt, non saepe fit ut, vi externa, rumpantur, quia utraque pars alteri apte accommodata est, et altera alteram sustinet. Ictus aliaeque externae injuriae Haemorrhagiam creant vasorum actionem augendo, ita ut, sua vi, rumpantur.

Fatigatio, praesertim in irritabilibus, et plethoricis saepe inter causas est; quia vasorum actionem intendit, et sanguinis momentum, in vasis magnopere auget.

Alvus astricta, urinae retentio, tenesmus, vehementes conatus ad alvum exonerandam, nimia venus, tussis, vomitus, hypercatharsis, saltatio, ambulatio diuturna, equitatio, denique omnes causae, quae sanguinis momentum, uterum versus, intendere queunt, hoc malum creare valent. Quoties sanguinis momentum uterum versus auctum sit, necesse est ut hae partes uteri maxime afficiantur, ad quas actio vasorum potissimum dirigitur; hae sunt, pars, ad quam placenta affixa est, et cervix et os uteri, quae maxime augentur; ad alterutram igitur ex his partibus, major proclivitas est ad sanguinis profusionem, et siquando placenta ad uteri cervicem, aut prope eam affixa est, Haemorrhagia multo magis in propinquo est, inter frequentissimas igitur uterinae Haemorrhagiae causas nexus placentae cum ore uteri est. In hujusmodi exemplo placenta raro manet cum utero commissa usque ad partus tempus. Plerumque ad mensem octavum aut medium nonum mensem separatio fit, quae non potest non Haemorrhagiam creare. Separatio vero fit, vel quia placenta non potest,

sub hoc situ, facile se utero accommodare, vel quia propter insolitam sanguinis quantitatem, ad uteri cervicem transmissam, fibrae ejus contrahi incipiunt et, contractione, placenta a parte, cui commissa, est, submovetur. Sed non modo causis, quibus sanguinis momentum in vasis uterinis, augetur, ovum separari a utero potest, spasmus, ad os uteri ortus, eundum praestare effectum valet.

Et porro si gluten, quo uteri os, in gravidis, obturatur, aliqua insolita actione, solutum, submotum sit, Haemorrhagia fieri potest, ita ut femina in vitae discrimine versetur.

Ex jam propositis, igitur de Haemorrhagiae Uterinae causis, patet id malum concitari fere iisdem causis, quae sanguinis profusiones ab aliis cavis corporis mucosis, afferunt; sed, his etiam causis non incidentibus, afferri posse pravo placentae situ; in quo quidem frequentissima ejus mali ponitur causa.

DE CURATIONE.

Medendi consilia generalia in Haemorrhagia Uterina sunt, ut sanguinis profluvium compescamus, et ut effectus, qui inde orti sint in corpore, tollamus vel imminuamus. Quum, vero, hic morbus, sub tot formis, se ostendat, necesse est ut medicus, accersitus ad feminam eo laborantem, causas, quibus allatus sit, sedulo animo reputet, ne, intempestivo remediorum usu, periculum augeat aut exitialem morbi exitum acceleret. In nullo enim morbo remedium utile est nisi tempestivo usu, et in nullo saepius fit quam in eo, de quo agitur, ut remedia, quae, ad aliud morbi tempus, utilissima sunt alio inutilia aut etiam perniciosissima evadant.

Praecipua remedia, quibus medicus, adversus hunc morbum, pugnat, sunt venaesectio; frigus, quies atque diaeta: malum enim ejusmodi est, ut quies et diaeta merito remediorum, locum teneant. Quibus autem oportet aliud

adjicere, nempe manu partum accelerare, quoties, a pravo placentae situ, malum pendeat, neque alio modo Haemorrhagiam compescere liceat. De his remediis singulis pauca ordine proferam.

Venaesectio.---Nullum remedium magis valet ad sanguinis profluvia compescenda, quam sanguinis detractio : cordis actionem imminuit, et momentum sanguinis, in vasculis affectae partis, temperat, ideoque utilissimum remedium est, quoties Haemorrhagia activa est. Siquando igitur femina nimia sanguinis plenitudine utitur ; si malum recens ortum est, et si plane pendet a nimia vasorum plenitudine aut nimia eorum actione, sanguinem mittere oportet. Cavendum tamen ne remedio abutamur, ne sanguinem detrahamus e corpore jam exhausto, priori sanguinis jactura, vel in quo venaesectio non potest Haemorrhagiam compescere, nam, nisi utile remedium, perniciosissimum est. Si igitur nulla sanguinis plenitudo est, nulla aucta vasorum uteri actio,

venaesectio prohibenda est aeque sedulo ac, sub contrariis rebus, jubenda. Raro equidem convenit, nisi ad ipsum mali initium.

Frigus.---Frigus vicinis partibus admotum efficacissimum est remedium in Uteri Haemorrhagia : vascula contrahit, et ita prohibet ne tantum sanguinis in ea propellatur : plane igitur venaesectionis effectus adjuvare potest, et siquando non licet sanguinem mittere, hoc remedium vice ejus haud male fungitur; quantum certe attinet ad momentum sanguinis in uteri vasculis temperandum.

Applicatur vero linteis ex aqua frigida expressis dorso et partibus genitalium externis impositis, quae saepe submovenda sunt, et de novo eadem ex aqua expressa imponenda. Aliquando etiam utile est frustulum glaciei in vaginam ipsam imponere, vel idem linteolo molli involvere, atque vaginam obturare, ita ut sanguis coagulatus vasorum ostia obcaecet. Licet quoque spongia ex aqua frigida expressa saepe truncum corporis et membra made-

facere. Et lecti vestimenta ejusmodi sint oportet, ut non corpus calefaciant, aër frigidulus liberaliter in cubiculum admittendus est; quae omnia quidem sedulo perficienda, quamdiu corporis calor non infra naturalem modum sit et praesertim inter mali initia. Tandem vero, in multis exemplis, a frigore abstinendum est, quia in corpore, magna sanguinis jactura, exhausto, et, deficientibus vitae viribus, debili facto, hoc remedium potest nocere et lethalem exitum festinare.

Quies.—In nullo morbo quies corporis magis necessaria est, quam in Haemorrhagia Uterina. In levissimo corporis motu, nonnulli contrahuntur musculi, quorum compressione sanguinis motus per venas augetur, ita ut plus sanguinis ad cor vehatur actioque ejus intendatur; erecto porro corpore, pondus sanguinis ipsius in uterum tendit, atque momentum ejus in vasculis augetur: quiete igitur non modo causa, quae exacerbare malum potest, evitatur, sed sanguinis motus non amplius adjuvatur

solitis auxiliis, a quibus momentum ejus in vasculis pendet.

Diaeta.—Multae materiae, quae ad victum potumque sumuntur, vasculosum genus stimulant sanguinisque momentum intendunt; quin et, etiam in sanis, post cibum sumptum, arteriarum pulsus fere frequentiores fiunt, Ex quo patet quantum intersit, ut medicus animum intendat ad diaetam in morbo, qui tantum pendet a cordis et arteriarum actione, quantum ille de quo agitur. Evitanda est caro, omnisque diaeta ex vegetabilibus confecta, quae concoctu difficilior est. Cuncti liquores validiores fermentati aut ab alcoholi confecti alieni sunt. Continenda igitur est aegra leviori materiae vegetabili, qualis est fecula, panis praeparata et similia; neque stimulantia alicujus generis concedenda sunt, nisi quum jam ad extrema ventum est et tum quidem cautè usurpanda sunt.

Partus.—Quod ad partum accelerandum attinet, imprimis investigandum est, an placenta

male posita sit; raro femina, ad justum tempus, uterum gerit, si placenta ad uteri os fixa est, et quum jam, in hujusmodi exemplo, ex separata placenta, Haemorrhagia facta est, vix spes est justi partus; si igitur compertum habemus placentam ita fixam esse, ac si Haemorrhagia profusa est, accingendum est ad partum accelerandum: quomodo vero id efficiendum sit, non hic tradam, sed ad scriptores obstetricos referre liceat.

Quando diu perstitit Haemorrhagia, vires aegrae subsidunt, syncope frequens fit, et frigus totum pervadit corpus: in hujusmodi exemplis necesse est operam dare, ut sustineantur vitae vires. Ex optimis remediis in his exemplis opium est. Calefacientia quoque usurpanda sunt,—Lintea ex aqua calida expressa pedibus et manibus imponenda sunt,—Vesica aqua calida, ad dimidium, impleta ventriculi regioni imponenda est; quin et aliquantum vini ex aqua calida sumendum est.

Porro alvus facilis servanda est, ac si alia molesta symptomata incidunt, remedia, quae singulis accommodantur, usurpanda sunt.

Haud difficile esset plura proponere, quae animi attentione digna sunt in hoc morbo; sed jam satis limites hujus disputationis porrexi, neque necesse est ut, in ea, omnia, quae hanc ad rem pertineant, contineantur.

Quod ad Haemorrhagiam attinet, quae incidit inter parturiendum et post partum fere eadem quae jam praeposita sunt, respondent: si inter partum fit, promovenda est eorum quae in utero sunt expulsio, et opiata administranda, post partum justa uteri contractio promovenda est. Haec quidem sunt generalia consilia, neque tempus sinit ut in singulas res, quae huc pertinent, amplius descendam.

FINIS.